



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelia Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 4. Politia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

300 DE MAGNO REGNO HVNGARIÆ,  
hoc est regio Vinidorum, quia Vinidi, seu Venedæ cum Slavis  
iuncti eò penetrarunt. Olim autem complectebatur Croaciā &  
Dalmatiā, nunc fluminibus Sauo & Drauo restringitur.

NVM. 2. Qualitas.

AER h̄ic serenissimus; terra miræ fertilitatis, quia fluuiis egre-  
giè eluitur: vnde, quod mirum, inter Turcicos tumultus frumen-  
to, pecore, & armentis diues.

NVM. 3. Mores.

ANTIqvorum Slavorum mores ex libro 3. Procopij de rebus  
Gothicis repetes, ex quo hæc pauca. Omnes ferè subruffo capillo,  
neque callidi, neque malitiosi: peregrinos humaniter accipiebant,  
in quos omnia sua liberaliter effundebant, ex quâ profusione pen-  
debat eorum fortitudo apud populares: immo hæc, furta excu-  
sabat. Si quis autem domo suâ exclusisset hospitem, domus eius à  
quouis poterat inflammari. Degebant in casis vilioribus, quas s̄e-  
pe mutabant. Cæterū piratæ crudeles, & vicinis intolerabiles:  
ita Slavi veteres. Nunc autem proximè ad Turcas accedunt: om-  
nes bellicosi, & id vnum orant Deum, ut armati moriantur, & in  
bello; optant autem inimicis mortem domi, & in lectulo. Rerum  
nouarum amantiores sunt, ideo facilè concitant seditiones. Du-  
plici vtuntur Alphabeto Cyrilli, vulgò Chiuriliza, seu Ruthenico  
vix à Græco dissidenti, & S. Hieronymi, vulgò Buchuiza, seu Dal-  
matico 32. vel 33. literarum.

NVM. 4. Politia.

PARTIM est Austriaci ob regnum Hungariæ, partim Turci-  
ei iuris; sed quia inter Germanos & Ottomanos pax infida, con-  
uenere Principes sub initium huius sæculi ut causæ omnes, & li-  
tes de incursionibus à Præfectis, Agrauensi, Arrabonensi, & Bu-  
densi dirimerentur; nec fœdus abruptum censeretur, nisi bellica  
tormenta educerentur.